

**Tentamen anatomico-pathologicum inaugurale de contextibus morboris ...
/ eruditorum examini subijcit Carolus Lush.**

Contributors

Lush, Charles, 1797-1845.
Woodforde, James
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebant Jac. Ballantyne et socii, 1825.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/xnp6etxp>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





DE

CONTEXTIBUS MORBOSIS.

40

Dr. Jas. Woodford M. D.

etc.

With the sincere wish that whatever may be
his "habitat" he may never neglect to cultivate
the friendship of
The author.

(13.)

TENTAMEN ANATOMICO-PATHOLOGICUM
INAUGURALE
DE
CONTEXTIBUS MORBOSIS;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

CAROLUS LUSH, FR. L. S.

Anglus,

COLL. REG. CHIRURG. LOND. SOC. SOC. PHYS. NOSOC. GUYENS.

LOND. SOC. HONOR. ET SOC. REG. MED. EDIN. PRÆSES ANNUUS.

Ναυτίλος ἐι πλώειν ἐθέλεις ἐνρῆα θάλασσα.

PHOCYLIDIS, P. A. 149.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT JAC. BALLANTYNE ET SOCII.

MDCCCXXV.

TESTAMENT ANATOMICO-PATHOLOGICUM

INAGURALE

DE

CONTESTIBUS MORBOSIS;

QUOD

ASSISTENTE SENIORI MEDICO

ANATOMICO-PATHOLOGICO AMBROSIO TIER

D. GEORGI HALLI, M.D., F.R.S.

RECTORIS UNIVERSITATIS PRÆFECTUS

scripsit

AMPLISSIMI SENATVS ACADEMICI CONSENSU

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Grævia Honoris

ACCOMMODATIS IN MEDICINÆ HONORIBUS ANATOMICO-PATHOLOGICIS

AD HÆC ET LEGITIMIS CONSPICUUM

EXCELSISSE ADAMANTO PAVMENTO

CAROLUS LILLI, F.R.S.

scripsit

QUI PRÆFECTUS EST ANATOMICO-PATHOLOGICO AMBROSIO TIER

QUI PRÆFECTUS EST ANATOMICO-PATHOLOGICO AMBROSIO TIER

GEORGI HALLI, M.D., F.R.S.

RECTORIS UNIVERSITATIS PRÆFECTUS

scripsit

EXCELSISSE ADAMANTO PAVMENTO

EDINBURGH

ACCOMMODATIS IN MEDICINÆ HONORIBUS ANATOMICO-PATHOLOGICIS

scripsit

VIRO

SPECTATISSIMO PERITISSIMOQUE,

BENJAMIN TRAVERS, ARMIGERO,
FR. R. S.

SOC. REG. MED. EDIN. SOC. HONORAR.

NOSOC. SANCT. THOMÆ. LOND. CHIRURGO, &c.

HOC TENTAMEN,

GRATI ANIMI TESTIMONIUM,

CONSECRAT

ALUMNUS EJUS

AUCTOR.

NECNON

AMICO SUO CARISSIMO,

GEORGIO LE FEVRE, M.D. FR. L. S.

SOC. MED. REG. EDIN. SOC. &c.

D. D. D.

C. L.

SPECTATOR'S TESTIMONY

BENJAMIN THAYER, AMERICAN
EX-AMINER, F. R. S.

SOC. REG. NEW YORK SOC. HONORARY

CONSTITUTIONAL

NOT TESTIMONY

GRANT AND TESTIMONY
OF THE LANCET
CONSTITUTION

ALCANTARA

ACTOR

CONSTITUTIONAL

CONSTITUTIONAL

CONSTITUTIONAL

CONSTITUTIONAL

CONSTITUTIONAL

CONSTITUTIONAL

D. D. D.

CONSTITUTIONAL

C. F.

CONSTITUTIONAL

CONSTITUTIONAL

TENTAMEN
ANATOMICO-PATHOLOGICUM
DE
CONTEXTIBUS MORBOSIS.

AUCTORE CAROLO LUSH.

CONTEXTUS morborum, qui in corpore humano inveniuntur, in duas series, dividere licet.

Complectuntur in priore, qui similitudinem habent cuiquam structuræ quæ in corpore ex naturâ existit : et in alterâ, contextus qui omnino differunt, et qui nullo modo deteguntur in sano corpore.

De his solummodo mihi hoc loco propositum est verba facere.

Quantum sit expetendum medicis, perspicuam habere nomenclationem, in omnibus rebus designandis quæ ad Anatomiam Pathologicam spectant, nemo dubitârit. Tametsi vero meliora omnes vident, deteriora multi sequuntur.

Haud denegandum quidem est, multos nuperrimè optimè scripsisse de morbis organicis, in quibus, contextus qui hodie vocantur pluribus medicis Gallicis, "Tissus accidentels heterologues," sese ostendunt; sed ad perficiendam nomenclationem, præcipuè LAENNEC et BECLARD operam dederunt.

De natura horum contextuum duæ præcipuè sunt sententiæ; alii, nempe DUPUYTREN, et CRUVEILHER, mutationes vel degenerationes structuræ naturalis esse credunt; alii, HUNTER scilicet, ABERNETHY, LAENNEC, et BECLARD, veræ ἐπιγενεσις effœta esse sibi persuaserunt. Et hanc opinionem ipse quidem vindico.

Plerumque desunt vasa in contextibus morbos, qui nullos sibi in organismo similes habent. In his exemplis hi, sicut res se habet in fœtu, sese formant. Massa ubi efficiuntur, im-

primis absque vasis, ex liquido coagulato constans, principio vesiculas singulas ostendit, quibus junctis, canales, in substantiâ ipsa excavati, sine tunicis discretis et propriis, formantur. Posteaquam hæc vasa vasis organorum vicinorum communicant, et per aliquod spatium temporis, vel etiam semper, vasis primitivis differunt, sive distributione, sive præsertim tunicis absentibus, vel tenuitate vel mollitie earum. Plurimis contrariò exemplis, nova vasa, aliis vasis omninò similia, fiunt.

Multæ sunt sententiæ de modo et causis formationis horum contextuum. Nonnulli inflammationem causam generalem esse agnoscunt; at planè minimè valet tantos tamque discrepantes explicare effectus.

Quum ita res se habet, quæ apparent brevissimè describam, et ad organa affecta paucis verbis referam.

Contextus morborum de quibus ab auctoribus tractatum est, et qui inter se satis dignoscuntur, sunt Tubercula, Scirrhus, Encephaloides,

Melanosis, Cirrhosis ; et alii sunt quidem minus accurate definiti.

DE TUBERCULIS.

CONTEXTUS Tuberculosus, tamdiu notus est, formaque tam longe ab aliis distat, ut non opus est diffusius de hoc scribendo. Reperitur sub forma corpusculorum discretorum, eodem tempore membranâ quadam sæpè obductorum ; et sub formâ effusionis abnormis, (“ infiltration tuberculeuse,” LAENNEC.)

In initio tubercula gelatinosa sunt ; hoc verò inter effusionem solum videtur. Inde semicartilaginosa fiunt, subtranslucentia, et subcinerea : hoc temporis vocantur tubercula miliaria, et primum distincta apparent. Crescendis his granulis et conjunctis massa formatur, quæ, medio incipiente, opaca, luteola, fragilis evadit ; et idem inter effusionem accidit. Adhuc tubercula cruda vocantur. Demum mollescunt et liquefiunt. Materia tuberculosa in pus conversa,

cutem aut mucosam membranam viciniorem versus determinatur, sæpius expellitur, retenta aliquando absorbetur.

Materiâ corrupta tuberculi evacuatâ, excavatio fit, interdum inflammata atque ulcerata; subinde minuit, et gradatim oblitteratur, manente cicatrice.

Plerumque verò intus obducitur membranâ semimucosâ semicartilaginosa, formatur fistula persistens. Interdum invenitur materies subpulverulenta, quæ relictæ esse ab absorptione crudi tuberculi putata est.

In tuberculis haud sese ostendunt vasa sanguinea. In "*infiltration tuberculeuse*," vasa circumjacentia cito comprimuntur et evanescent. Nonnunquam tuberculis tunica distincta vel *κυστίς* est; an tunica primaria sit an consequens disputatum est. Doctoris BARON prima est sententia, qui sibi persuaserit, tubercula ex formatione præcedente hydatidum originem ducere. Omnibus verò haud ita placet, quia mera suppositio est, sicut nemo *κυστίς* vel hyda-

tidem primo existere absque dubio probaverit.* Verisimile est quod eandem causam agnoscat, quam *κύστις* effusionem sanguineam aut corpus extraneum complectens.

De varietatibus diversis tuberculorum, et de *diathesi* quæ iis originem præbet, et de symptomatibus quoque quæ monstrant, perlongius disserere esset.

Inveniuntur tubercula in omnibus organis corporis, præcipuè in pulmonibus,† in tela cellulosa, in superficie membranarum serosarum, præsertim in laminis, scilicet “false membranes,” ab inflammatione formatis. In contextu mucoso præcipuè intestinorum—in glandulis, liene, ossibus, corde, et aliis musculis, cerebroque et medulla spinali.

* Si Haller, Louis, aliorumque opiniones vindicamus, nempè ut *κύστις* formentur ex membranâ cellulosâ compressa, formatione anteriore nullo modo credendum est. Si autem auctoribus utimur Bichat et Béclard, novas esse membranas, *serosasque*, adhuc sub iudice esse confitendum est. (Béclard Anatomie Générale, p. 200.)

† Bayle de la Phthisie Pulmonaire, &c.—Laennec, de l'Auscultation médiate, &c.

DE SCIRRHO.

HAUD facile dignoscendum est inter Scirrhum et Encephaloidem crudum, qui in genere "Carcinomate" cum quibusdam aliis inclusi sunt. Scirrhus durus est; diversa est durities, modo cartilagini similis, modo ligamentis intervertebralis; incisus sub ferro crepitat. Albus est vel cæruleo-cinereus, interdum colore omnino vacat. Semitransparens est. Plerumque constat ex massis insulatis informibus, raro lobulatis, ferè semper homogeneis. Internè intersectionibus fibrosis vel cellulosis dividitur, interdum radiatis, contextui *Brassicæ Rapæ* haud absimilis; interdum alveolaribus et etiam irregularibus. Rariùs in Scirrho vasa sese ostendunt. *Mollescens*, gelatinam similat, modo syrupum; color interdum subfuscus, et subviridescens, vel subcinereus sanguine tinctus; nonnunquam ad gummi aut mel similis est.

Minimè mihi constitutum est, hujus rei descriptionem producere, quippe quæ tam varias

ostendat species, præsertim exulcerata, vel in statu qui vocatur anglicè “ open cancer.” In hac conditione, aliis diversè diversis temporibus se habentibus, in quibusdam inveteratis ulceribus ubi Schirrus omninò defuisset.

Ferè omnes contextus corporis Schirro primario vel secundario obnoxii sunt. Sæpissimè verò structuræ glandulosæ, sicut Mamma, Testis, Pancreas, Jecur, &c. et etiam, Uterus, Ventriculus præsertim circa Pylorum, Rectum Intestinum, rariusque Cerebrum, afficiuntur.*

* Tacheron, Observations Pathologiques. Paris, 1823. Laennec et Bayle Scirrhum nunquam reperierunt in pulmone.

DE ENCEPHALOIDE.

Synonyma : Fungus Hæmatodes, HEY, WARD-
ROP, &c. Soft Cancer, C. BELL. Medullary
Sarcoma, ABERNETHY.

Invenitur Encephaloides in massis nudis vel
obductis, atque *infiltrata*.

Cruda moleculas format, quæ variant magni-
tudine, lobatas, lobulatas, speciem cerebri osten-
dentes, duras, semitransparentes, absque co-
lore, vel albescentes, vel subcinereas. Conjun-
guntur lobuli inter se, telâ cellulosâ immaturâ,
mollissima, permiscenturque prout sese evol-
vunt. Complurima vasa minutissima imbecilli-
ma pervadunt telam hanc cellulosam, etiamque
ipsam Encephaloidem. Morbo inveterato, Ence-
phaloides colore subrosaceo aut subviolaceo in
diversis locis, sive extenso sive punctato, est.
Tunc temporis textum cerebralem consimulat,
minus verò tenax : non æquè crassa est in omni
parte.

Massæ tunicam distinctam haud habentes, strato molli telæ cellulosæ instruuntur. Aliis quidem est tunica semicartilaginosa, obducta internè eâdem telâ quâ præcedentes. Aliquando *κυστις* partibus quibusdam abest; omnibus verò exemplis post materiam inclusam formari videatur.

Cùm reperitur *infiltratio* cerebriformis, quæ præsertim in cervice uteri accidit, tùm tempus immaturitatis perbreve est.

Progressu temporis Encephaloides mollescit, et materiam pultaceam colore roseo format; morbus progreditur delendo omnem structuram cui obvenit etiam ossa ipsa, neque arteriarum nec venarum tunicae tutæ sunt; sanguis e vasis in interstitia tumoris effunditur, adeò ut textura naturalis (si ita fas sit dicere) speciem sibi propriam monstrat. Secto tumore, e sanguine coagulato dimidium constare videatur. Hinc sententia, Encephaloidem fluido extravasato postea in organismum recepto formari.*

* Hey's Surgery.

Nonnunquam in telâ cellulosâ circumjacente, vel in ipso tumore, apparet serosa infiltratio liquida, mollitiei incoloratæ cerebri (*ramollissement blanc du cerveau*) haud absimilis. Quum externè mollescit, superficies viridi-cinerea est, fætida, inflammata ; interdum formam putredinis induit.

Encephaloides maximè proclivis est ad sese multiplicandam in vicinis partibus, præsertim perstante molliti. Sed inter hanc et tubercula dignoscendum est, scilicet, illa extendit se, hæc autem in singulis massis distinctis seorsum apparet. Nihil a re alienum est dicere, Scirrhum eandem legem ac Encephaloidem agnoscere.

LAENNEC se nunquam observasse vasa lymphatica in Encephaloide asserit, sed adesse sibi persuasit, quoniam in Ictericis flavam esse vidit.

In exemplis ubi hic morbus non inveteraverit vix ullus affectus corporis generalis est. Et ubi adsunt in initio indicia irritationis, potissimum referenda sunt ad situm tumoris prementis vel delentis aliquid organum. Revera censere licet, mortem ex aliis causis provenire ac materie

lethiferâ Encephaloidis. Plerumque gradatim marcescit æger, profluviis immodicis vel repetitis fluxibus sanguinis exhaustus. Quamquam haud necessariò sequitur, hydrops non raro occurrit.

Omnes structuræ corporis obnoxia sunt huic morbo, præcipue mammæ, testis, uterus, pulmones,* ventriculus, periosteum, ossa interdum post contusionem vel fracturam. In membranis serosis et mucosis, et in musculis. "If," inquit Carolus Bell,† "it do not arise in the muscles it very readily attaches to them. It is propagated through their substance, and it certainly arises in the soft substance of the limbs. It often commences in the lymphatic glands, as in those of the groin. It attaches to them also in a secondary way, and yet not always in the course of the lymph. For example, the disease of the testicle will be succeeded by the affection of the popliteal glands."

* Laennec Auscultation Mediate, Tom. I. p. 312.

† Surgical Observations, Vol. I. p. 371.

Tela cellulosa communis quoque sæpius huic morbo opportuna est. Et etiam oculus,* a quo ad cerebrum facile iter habet; nonnunquam vero ipse oculus vacat morbo, ut vidi, dum appendices ejus, ossa cranii, et omnia vicina funditus deleta sunt. Carolus Bell vidit exemplum hujus morbi in nervo popliteo; et tumores maligni ab hoc auctore descripti, a gingivis et alveolaribus processibus provenientes, et cellulas narium inficientes, et etiam ad orbitum, &c. usque pertinentes, Encephaloidei esse videantur.

DE MELANOSI.

HUIC morbo qui a DUPUYTREN primo in Gallia observari dicitur, plures auctores sed præcipue, BAYLE,† LAENNEC,‡ BRESCHET,§

* "Travers' Synopsis of the Diseases of the eye," ubi optime morbus delineatur.

† Dictionaire des Sciences Médicales—Recherches sur la Phthisie Pulmonaire, &c.

‡ De l'Auscultation Médiante, Tom. I. p. 288.

§ Considérations sur une altération organique appelée

CULLEN et CARSWELL,* animos intenderunt. Constare videtur, HALLER invenisse exemplum hujus morbi in pulmonibus atque aliud in pleura.

Melanosis ab omnibus aliis contextibus a nigro suo colore distinguitur ; in statu mutato sanguinis coacti, ut demonstrare conabor, consistere videtur.

Notare vero licet, hanc substantiam non semper omnino nigram esse, quoniam BRESCHET se eam colore, a nigerrimo usque ad fusco-flavescentem fuligini ligni similem, variare vidisse asseverat.

Melanosis minime degeneratio naturalis structuræ corporis putanda est ; nullum in eo vestigium est vasorum, nervorum, neque etiam membranarum cellulosarum vel fibrosarum. Exudationem igitur materie sui generis esse censendum est.

dégénérescence noire, Melanose, Cancer Melané, &c. dans le 4^{me} No. du Journal de Physiologie de M. Magendie, Oct. 1821.

* Transactions of the Medico-Chirurgical Society of Edinburgh, 1824, Vol. I. p. 264.

In tres species dividi potest Melanosis, scilicet : 1^{mo}, In massis insulatis. 2^{do}, Infiltrata. 3^{tio}, In laminis in membranarum superficiem.

Massæ insulatæ $\kappa\upsilon\sigma\tau\iota$ obductæ vel nudæ sunt. Quæ $\kappa\upsilon\sigma\tau\iota\nu$ habent, multo magnitudine variant, modo granum milii æquante, modo nucem juglandis. Sacculi cohærent, sed nulla inter eos communicatio est. Massæ aliquando forma subregulares sunt, interdum mammillatæ, lobulatæ, vel ex laminis contortis vel convolutis formatæ.

Ex tela cellulosa facti sunt sacculi, quæ, ut supra dixi, nunquam in ipsam substantiam intrat. Melanosis nigra aut fusca est, opaca, inodora, insipida, tenax, primo aspectu homogenea, sed si contusa est, et cum aqua lota, aqua colorem adipiscitur, contextu absque colore vel saltem subcinereo persistente.

Secundum LAENNEC, massæ Melanosis insulatæ plerumque nudæ reperiuntur ; si cum BRESCHET idem censemus de modo formationis morbi, ut arbitremur investmenta adesse imperfecta, vel massas melanoseas in initio obductas

esse, necesse est. BRESCHET * de utriculis in tela adiposa ait : “ C’est dans la cavité de ce tissu que la graisse se dépose, c’est à lui qu’elle doit l’apparence granuleuse ou mamelonnée qu’elle nous présente ; c’est lui qui la retient, qui s’oppose à son écoulement total lorsqu’on y porte l’instrument, ou qu’on l’expose à la chaleur. Beaucoup d’autres prétendues dégénérescences sont produites de la même manière, et ne dépendent que d’une altération dans la sécrétion, et que de l’accumulation de la matière sécrétée dans les utricules de la graisse. Tous les organes qui contiendront un tissu semblable ou analogue au tissu adipeux, c’est-à-dire, qui seront formés par un tissu cellulaire séreux, ou tissu disposé de manière à constituer des membranes minces, diaphanes, pellucides, à surface perspirable, et en tout analogues aux membranes séreuses, pourront devenir le siège des épanchemens mélaniques.”

* Loco citato.

Ubi Melanosis *infiltrata* est, sparsim in contextu organi, et verisimillimè in tela cellulosa ejus, distribuitur. Hæc forma morbi primo ostenditur punctis nigris, in variis partibus organi, in quorum intervallis structura naturalis immutata videtur; numerus punctorum gradatim augetur, et citò in forma striarum sese ostendit. Structura naturalis imminuitur, et denique omnino evanescit.

Quum Melanosis *infiltrata* in pulmonibus occurrit, in initio, difficillimum est dignoscere inter eam et puncta vel maculas materie nigro-cinereæ, quæ plerumque inveniuntur in adultis hominibus, et quæ augentur in provecta ætate. Forsan *analysis* chemica accuratior hujus materie, si quantum sufficeret collegi posset, et bene ab extraneis separari, solùm certo modo distinctionem præberet. Et idem par est dicere de materiâ nigrâ glandularum Bronchialium,* et de cinereâ in sputamentis multorum

* Secundum Fourcroy, glandulæ bronchales, magnam copiam carbonii et hydrogenii continent, quæ non inveniuntur in materia melanosea.

hominum qui ab aliis morbis vacant, nisi a secretionē aucta membranæ mucosæ bronchorum, iis qui multum excreare solent.

Materia infiltrata, secundum LAENNEC, rarò mollescere incipit antequam textus naturales omnino delentur et absorbentur; interdum hic ipse mollescit, et cum Melanosi immiscetur, quo color massæ mutatur.

Tertia species Melanosis in laminis in superficie membranarum occurrit, quæ interdum onstant ex plurimis plicis; interdum verò speciem dendriticam monstrat, quasi inter ramulos vasorum sanguineorum. Ubi ad superficiem membranæ mucosæ ventriculi et intestinorum occurrit, ingesta videntur ab ea colorata.*

ANALYSIS CHEMICA.—Elementa chemica hujus materiæ, sicut invenit D. LAISSAIGNE apud Scholam Veterinariam Alfortianam, in equo sunt:—

- 1°. Fibrina colorata.
- 2°. Materia nigra tingens, in acido Sulphurico solubilis, et in aqua Subcarbonatis Sodæ, colorem rubrum his liquoribus impertiens.

* Breschet.

3°. Paululum Albuminis.

4°. Murias et Subcarbonas Sodæ, Phosphas Calcis, et Oxidum Ferri.

In hac disjunctione, principia communia sanguinis crassamenti observamus, materiâ nigrâ exceptâ, quæ mutationi cuidam subivisse, et plus minusve cum fibrinâ commisceri videatur.

De BARRUEL *analysin* Melanosis in corpore humano fecit processu elaborato, quem hic referre perlongiùs foret. Præcipue inventum est, in materia sanguinem tingente, et in fibrina, singulis in statu proprio, et in tribus speciebus materiæ adiposæ, consistere. *Prima* in spiritu vini modico calore dissolvi potest, et in crystallos splendentes flocculos formantes coit. *Secunda* mollis est, non in crystallos coëunda, et non nisi spiritu bulliente solvenda. *Tertia*, temperie solita liquida est, rubra. Alia elementa sunt Phosphates Calcis et Ferri.

Igitur Melanosin, nil nisi coaguli mutati sanguinis exudationem, considerandum esse videatur. Atque verisimile quidem est mutationem

intra vasa ipsa fieri ; quoniam ut supra memoravi, sæpènumero eandem speciem, ac vasa ostendentem, supra membranas mucosas videmus.

BRESCHET hac opinione magnoperè utitur, et similitudinibus optimè quidem selectis, censere inductus est, præsentì materiæ quæ morbum Melanosin dictum efficit, multa quæ apparent in corporibus animantium referre. Ex his præcipua sunt, pigmentum oculi nigrum, et id quod cutem Æthioporum et placentam animalium quæ carne vescuntur tingit. His addere licet quædam morbosa sicut evomita, excrementa, et id quod circa linguam, gingivas, labra, et fauces in febre Typho coagitur ; quæ omnia, ut liquidò constat, colorem nigrum ostendunt.

Iis quæ observarunt DD. CULLEN et CARSWELL, arbitrari sibi persuaserunt, formationem Melanosis nullis *symptomatibus* quæ Carcinoma, Encephaloidem, et alios morbos malignos comitantur, stipari ; non, nisi mole vel structurâ sanâ delendâ, (ei locum præbendi gratia) nocere.

“ It is an affection, *sui generis*, of which it must be said, in the present state of our knowledge, either that it is a perfectly innocuous secretion, or that we are unacquainted with its real nature ; for our parts, if we incline to the former conclusion, it is because we think ourselves warranted to do so from the cases we have seen, fully prepared, however, to retract or modify our opinion, as soon as a more enlarged experience shall have shown us our inaccuracy.”*

Hi auctores mollitiem et eliminationem Melanosis denegant, id quod minimè cum iis sentio ; eorum opinio originem ducit a majoribus massis Melanosis induratis inventis, et minoribus autem liquidis, unde credere illis placuit, Melanosin liquidam semper secerni, et deinde gradatim indurescere, et nunquam remollescere, sicut tubercula antequam a corpore expellantur. In his quidem respondendis hæc argumenta adferre licet.

* Med.-Chir. Trans. Ed. loco citato.

Imo, BAYLE excavationes in pulmonibus vidisse, a Melanosi expulsa relictas; etiam LAENNEC eadem in jecinore, et FERRUS exemplum ubi tumor melanoseus exulceratus est in inguine observasse.

2do, Massas induratas in quibusdam organis minimè probare similes massas in aliis sitibus haud mollescere et eliminari. Etiam si verò norma est tubercula ad mollitiem tendere, nonnunquam verò inveniuntur magnæ massæ quæ nullo modo huic mutationi proclives sunt. Doctor BAILLIE speciem magnorum tuberculorum, quæ vix ac ne vix quidem funditus deletur, descripsit, et delineavit.

Ferè in omnibus contextibus et organis corporis visa est Melanosis, frequentius verò parenchyma organorum sicut pulmonum et jecinis corripitur. In his partibus, sine ulla qualitate venenosa aut noxia, hic morbus lethiferus esse potest.

Hic morbus in equo sæpè observatus est, et nonnunquam etiam in canibus, felibus, cuniculis, muribusque. Equi albidi vel cinerei pro-

cliviores aliis esse videantur; et plerumque magis in Europa meridionali grassatur quam in hac regione.

DE CIRRHOSI.

HUNC contextum LAENNEC primus descripsit hac appellatione; aliò verò verisimile descriptum esse par est dicere. Quoniam incertum est, haud mihi constitui de nominibus quæ alii auctores huic morbo dederunt mentionem facere.

Cirrhosis cruda existit et mollis.

Cruda subfusca est, interdum viridescens; si fas sit comparare ad aliquid in corpore sano, maximè glandulas supra-renales in adulto homine simulat. Quamvis satis coacta, aliquanto flaccida est, sicut quædam species Boleti et Agarici, vel corium molle. Fibræ omninò desunt, etiamsi aliquando subsquamosa est.

Cirrhosis mollescens fuscior fit. Mollitie

maturata massa morbosa, putrescens, atro-fusca, viridescens, inodora, glutinascens evadit.

LAENNEC * tres species Cirrhosis agnoscit ; 1mo, Cirrhosis in massis ; 2do, In laminis ; 3tio, Cirrhosis tunicata.

In jecinore format moleculas grani milii magnitudinem æquantes ; hæ moleculæ sæpe innumeræ sunt, et totum jecur pervadunt. Jecinore inciso, tam parvæ sunt, ut primo aspectu contextus ejus *homogeneus* videtur, fusco-flavescens, simillimus colore ad corium istud quod Anglicè vocatur “ boot-top leather.” Cuique verò probè investiganti, evidentissimum erit jecur impleri corpusculis innumeris, instar eorum lobulorum adipis duræ et sub-rubræ, quæ sæpiùs inveniuntur in telâ cellulosâ subcutaneâ femorum et crurum eorum qui anasarcâ vexati sunt. Interdum unitas inter et jecur et moleculas intima est ; haud rarò autem separantur

* Dictionaire de Médecine de MM. Adelon, Béclard, Biett, &c., article “ Foie.”

strato tenui telæ cellulosæ, qua obducuntur et tùm facillimè dividantur.

Sequuntur affectus locales hujus morbi in jecinore.

Superficies anterior macra, rugosa fit ; præcipuè notandum est, quod dum plurima nova materies formatur, jecur, non solùm magnitudine non augetur sed etiam imminuitur. Plerumque substantia hepatica alitèr speciem ferè naturalem sed interdum pallidior videtur ; bilis haud sensim mutatur ; rarò adest morbus arquatus. Cirrhosis non videtur doloribus localibus stipari ; non necessariò solet esse febris, et tùm macies parum observanda est ; præcipuus quidem affectus ascites est, pedibus intumescentibus.

“ On l’a vu aussi,” dicit BECLARD,* “ dans le rein, la prostate, l’epididyme, l’ovaire, la thyroïde.”

Præter contextus supra descriptos, alii quidem sunt, post amissam substantiam formati,

* Anatomie Générale.

qui, etsi vix morbosi, haud omninò habent structuram vel spissitudinem partium similium corporis sani; tales sunt contextus albidì, post *solutionem continui*, novæ formationes cutaneæ, &c.

Structuræ quæ in corpore ex natura inveniuntur, in partibus sibi alienis nascuntur, et præsertim quando cum aliis contextibus morboſis, qui supra descripti sunt, stipantur. Multum interest, in descriptionibus Anatomico-pathologicis, cognoscere modum quo conjunguntur et consociantur, scilicet, materia ossea cum Scirrho, aut Tuberculis, et hæc cum Encephaloide.

Hi contextus diverso modo juncti, varietates Carcinomatum, Polyporum, &c. formant.

FINIS.

EDINBURGI:

Excudebant JAC. BALLANTYNE et SOCIJ.



